

60. Iam verò Essentiae divinae unitas facit, ut quamvis pater & Filius Personis sint distincti: non tamen diversa spirent spiracula, sed ἁπλῶς identitate unum sint  $\sigma\omega\delta\upsilon\alpha\lambda\omicron\mu\epsilon\nu\omicron\nu$  in uno eodemq; ὁμοσσίῳ producendo Spiritu.

61. Et frivola planè ac elumbis Graecorum est obiectio, statuentium, hoc modò secuturum, quia Pater & Spiritus sanctus aequè ἁπλῶς unum, ac Pater & Filius: ut Pater è sua substantia gignere nequeat Filium, nisi & Spiritus Sancti ἐνέργεια in isto generationis actu ob indivisam Essentiae divinae Unitatem concurrat.

62. Neque enim ex sola Essentiae communione neglectâ Personarum τάξι, licet instituere collectionem: Sed Ordo producentium & productorum sanctè observandus. Iam verò non Spiritus Filio, sed Filius Spiritu, respectu τάξεως huius hypostaticae, est prior: siquidem Filius secunda: Spiritus tertia Persona: Ergò neque Spiritus Filium producere potest, generando, quippè ordine posterior: sed Filius, τῇ τάξει prior, spirando producit Spiritum sanctum: in eoq; producendo fit unum cum Patre  $\sigma\omega\delta\upsilon\alpha\lambda\omicron\mu\epsilon\nu\omicron\nu$ , ob Essentiae scilicet unitatem, non nudè & simpliciter consideratam, sed cum originis sive proprietatis respectu in Filij Persona connexam.

63. V. Si Spiritus sanctus à solo esset Patre, ex hypothese Graecorum, quemadmodum Filius est à solo